Quaestio Medica Quodlibetariis Disputationibus agitanda In Scholis Medicorum, Die Jovis 5° februarii 1579,

Eruditissimo viro D. Hugone Prevoteau D. Medico Moderatore Prudentissimo.

An diaeta temperiem mutat?

Sanitas morbusque cum corporis sint affectus, hic laeditur, illa edit actiones, et alter contrariis profligari, sic altera similibus conservari debet. Quorum utrorumque praestari potest circa debitum sex rerum non naturalium, diaetae nomine comprehensarum usum. Quarum in mutandis corporibus tanta vis est, ut jure sanitatis morbique efficientes dici possint. Inter haec, aer; substantia triplicem spiritum reparat: qualitate calorem, humidi sui voracem temperat. Qui si temperatus fuerit (qualis solo veris est, licet calido humido) pueris, sed magis adolescentibus, et post temperatioribus, familiaris existit. Intemperatus; ut congenerem auget intemperiem sic contrariam corrigit. Quamquam siccus humido, ut borealis austrino (pestifero) sit anteponendus.

Cibus quoque ac potus, dum corporis dissipatam substantiam solidam humidamque caloris ope (solo coctionis ministri opifice) resarciunt; suis more afficiunt qualitatibus. Unde varius eorum usus esse debet, pro temperamentorum, temporum, aetatumque varietate. Etenim, calidis humidis, veri, et adolescentiae; alimenta eupepta cum sanguine (in his dominante) temperamenti, calida mediocriter atque humida conveniunt. Conveniunt quoque autumno, melancholicis, et aetati declinanti, ob siccam frigidamque intemperiem. Calidi sicci, aestate, juvenes (biliosa dicti) frigidis humidisque gaudent. Senibus denique: saepius calida humida, et nonnunquam (ut semper hyeme; ac pituitosis) calida sicca utilia sunt. Vinum autem; cui naturae ac tempori est convenientissimum.

Triplicem alimentorum coctionem sua sequuntur excrementa. Sed ut pauca gignuntur ex alimentis paucis, euchymis, familiaribus, calore valido existente, in extenuatis et adolescentibus corporibus, et in mulieribus gravidis, praesertim si marem gerant: sic omnibus contra se habentibus; copiosiora prodeunt. Quorum debite facta, sublata natura aut voluntate excretio; confert. Profusio, quantumvis ipsa critica, et excretum aliorum fuerit, vires eadem spiritum exhaurit: cohibitio vero, morbis pluribusque praebet occasionem. Quorum bona pars; vel ad plethoram, inedia, (nimium sano fugienda) sed magis phlebotomia depellendam, vel ad cacochymiam triplicem, propriis catharticis expurgandam, potest referri.

Somnus; quies est functionum animalium, caeterarum robur. Hunc longiorem postulant cruditates omnis, cibi multi et δύσπεπτοι, hyeme, mulieres, pueri, senes. Sed his brevior leviorque esse solet, sicuti biliosis, melancholicis, juvenibus (quos attenuant) animo aut corpore dolentibus, tempore aut loco calidiore. Nocet initio paroxysmorum febrium, praesertim pestiferarum, inflammatis internis, instante crisi, nisi sudor (quem solum ex omnibus vacuationibus non sistit) expectetur, praeterea sumpto pharmaco cathartico aut deleterio. Ubi vigiliae magis prosunt. Quae alioquin immodicae; siccant, attenuant, bilem augent, febres et in ipsis convulsiones deliriaque excitant, sed tandem refrigerant, et cruditates gignunt. Quarum etiam est parens somnus immodicus.

Motus et quies si modum non excedunt, omnibus conferunt. Quamquam haec juvenibus, macilentis, et aestate; ille obesis, pituitosis, et hyeme salubrior est. In quibus tamen sibi, ut in omnibus similibus ad quem vires requiruntur, florentibus propria, adolescentibus et senibus fugienda, melancholicis et pituitosis aliquando commoda. In quibus tamen sibi, ut in omnibus sim... Sic ardentius (licet frigidiores) appetunt: obtusis Baccho et Cerere friget. Mulieres cognosci semper paratae; ut eam jucundiorem uberioremque quam viri experiuntur, sic ardentius (licet frigidiores) appetunt. Salacitatem, qui seminis (summi sui boni) jactura est inexplebilis. Inter animi παθήματα corporis temperiem sequentia; laetitia omnibus est utilis, nimia tristitia, ira frigidis potius auxiliatur. His vero, et caeteris, si vehementiora fuerint, tanto diligentius prospiciendum, quo animus corpore praestantior.

Ergo diaeta temperiem mutat.

Proponebat Joannes Bomier Pictoniottanus.

Dni Doctores disputat.

M. Claudius Fauuelet.
M. Joannes de Gariette.
M. Thomas Seurion.
M. Ludovicus Dreus.
M. Ivo Marchand.
M. Bartholomaeus Paffard.
M. Claudius Bailli
M. Stephanus Boutmeler.
M. Joannes Liebaut.